
**De Temporibus Quibus Aeschylus Utitur Praesentis Praecipue
Et Aoristi Varietate... (Latin Edition)**

Huebner Bernhard

Title: De Temporibus Quibus Aeschylus Utitur Praesentis Praecipue Et Aoristi Varietate... (Latin Edition)

Author: Huebner Bernhard

This is an exact replica of a book. The book reprint was manually improved by a team of professionals, as opposed to automatic/OCR processes used by some companies. However, the book may still have imperfections such as missing pages, poor pictures, errant marks, etc. that were a part of the original text. We appreciate your understanding of the imperfections which can not be improved, and hope you will enjoy reading this book.




2-20-18

Henrico Keil
Julio Zacher

praeceptoribus dilectissimis

sacrum.



Aeschyleis¹⁾ studiis cum operam navare constituissem, subtiliores illas quaestiones, quae in genuina librorum scriptura restituenda aut in Aeschylea singulari sublimitate, gravitate, ingeniosa indole mirificaque arte perspicenda versantur, eis permittendas censebam, qui et summo ingenii excellunt acumine et doctrinam uberiores accuratoremque sibi comparaverunt.

Itaque ad ea malui me conferre studia, quae in scenicis poetis etiamnunc desiderari videntur. Quorum in numero grammaticas quaestiones non infimum locum obtinere aperte indicavit et eruditissimus et ingeniosissimus Graecarum litterarum arbiter, Godofredus Bernhardy, cuius in Paralipomenis Syntaxis Graecae p. 13 haec exstant verba: „Si... et hanc studiorum disciplinam (scilicet historicam syntaxin) et interiorem litterarum notitiam promovere volumus et criticos adiuvere, multis libellis par est elocutionem auctorum cuiusvis gradus notaeque singulatim explicari. Hinc fructuosissimam et propemodum intactam petent materiam, quos iuvat scientiam antiquitatis Graecae non vanis quaestionibus ornare.“

Ac talibus quidem studiis in eo praesertim opus esse vetustissimo Atheniensium auctore, qui et ingenii sollertia eminuerit et novi generis quasi parens ceteris poetis scenicis viam muniverit, quis est, quin facile sibi persuadeat?²⁾

Nam quod idem Bernhardy in universum iudicans de omnibus tragoediarum scriptoribus contendit, atticum eos ser-

¹⁾ In versibus numerandis editionem Dindorfianam V. Lipsiae MDCCCLXV secutus sum.

²⁾ His grammaticis quaestionibus etsi doctorum virorum opera non deficit, tamen non pauca restare monet Bernhardy (Grundr. d. Gr. Litt. II, 2. p. 213) his verbis: „Um über tastendes Gefühl hinaus zu festen Einsichten in die Sprachkunst, den Satzbau und Stil der Tragödie zu gelangen, bedarf man der Monographien über das Sprachsystem und die Rhetorik der tragischen Meister.“

monem constituisse³⁾, id primum videtur referendum esse ad Aeschylum, quippe qui „personae pallaeque repertor honestae“ dramaticae poesis fundamenta posuerit.

Quare de temporum usu Aeschyleo accuratiore quaestione instituta inquirere operae pretium facere mihi videbar, non tam ut nova et inaudita in medium proferrem in ea re, quae inde ab antiquissimis temporibus usque ad novissimam Graecarum litterarum aetatem mirificam conservavit constantiam⁴⁾, sed ut, quoad pro viribus fieri posset, quae in commentariis vel grammaticorum scriptis disiecta inveniuntur, colligerem et in uno conspectu collocarem. Sed quod ei,⁵⁾ qui de perfecti et plusquamperfecti usu Aeschyleo disseruit, viro doctissimo accidit, ut in uno perfecto quasi haereret, id mihi in praesentis usu perquirendo accidisse confiteor. Nam etsi primo obtutu vere idem iudicare videtur, praesentis usum non multa praebere mira aut praeter alia memoria et quaestione digna, tamen quibus legibus huius temporis usum Aeschylus circumscripserit et quem finem secutus interdum etiam ad res, quae praesentes aut non sunt aut non cogitantur, tempore praesenti usus sit, non satis videtur illustratum esse.

Atque in omni hac quaestione hoc imprimis tenendum censeo, quod in ceteris, quas in Aeschyleo admiramus virtutibus, non infimum locum tenet „eximia quaedam quasi fingendi ars⁶⁾“, quae *πλαστική* solet vocari.

³⁾ Bernhardt l. l. p. 205: „durch Ausdauer und künstlerisches Genie haben die Tragiker ein neues Idiom gegründet und seine Gesetze mit solchem Erfolg bestimmt, dass sie den Attischen Stil in der höheren Dichterrede festsetzen und den formalen Geschmack ihrer Zeitgenossen methodisch leiten konnten.“

⁴⁾ Cf. Wecklein (Bursians Jahresbericht VI. Jahrg. 1878. 4. und 5. Heft. p. 257): „der Gebrauch der Tempora zeigt von den ältesten Stufen bis in die jüngste Periode des Sprachlebens und in allen dialectischen Verzweigungen (insoweit hier überhaupt eine genauere Prüfung möglich ist) eine überraschende Gleichmässigkeit.“

⁵⁾ Leop. Brock: dissertatio de Perfecti et Plusquamperfecti usu Aeschyleo. Vratislaviae. MDCCCLXV. p. 1.

⁶⁾ Cf. Lechner: de Aeschyli studio Homérico. Progr. Erlangen 1862, pag. 25. Bernhardt l. l. p. 256: „er war wie kein anderer ein plastischer Tragiker.“

Cuius artis studium etsi imprimis in „epithetorum electione et vigore translationum atque similitudinum et in rerum accurata et facta quodammodo descriptione 7)“ cernitur, tamen non minus perspicuum est in praesentis ceterorumque temporum usu subtili et apta variatione.

Nam cum ceteris tum vel maxime dramaticis poetis id agendum est, ut quidquid vel fiat, vel in personarum animis commoveatur, id spectatorum auribus oculisque ita obversetur, ut etiam absentium rerum imagines praesentes habere illi sibi videantur. Non enim enarrat dramaticus poeta sicut epicus, quae „irrevocabilis abstulerit iam praeterita aetas,“ sed quae mente et cogitatione complexus est ita explicat et in conspectu ponit, ut rerum initia et fontes, decursus, fines atque exitus ipsis oculis contemplerur, ut denique sentiamus, cogitemus, vivamus cum eis quas poeta in scenam producit fabularum personis.

Quam summam et primam dramaticae artis legem Aeschyli manum direxisse, quis non habet exploratum, qui considerat, illum Homeri adeo fuisse studiosum, ut suas tragoedias *τεμάχη τῶν Ὀμήρου μεγάλων δέλτων* esse confiteretur. Et qui non quiescebat in rupis praeruptae (cf. Suppl. 792 seqq.) aut tempestatis vehementissimae (Prom. 1080 seqq.) aut Typhonis (ibid. 35 seqq.) aut septem illorum qui Thebas obsidebant ducum accuratissima descriptione, qui pennigeras appellabat nives (Prom. 993. *λευκοπτέρω — νιφάδι*), qui multis aliis rebus, quas non nisi cogitatione complectimur, quasi corpus induebat, idem etiam temporum usum ita moderatus est, ut rerum quam maximam efficeret perspicuitatem, ut varias cogitandi sentiendique rationes detegeret et quasi intimos suarum personarum animos aperiret.

Quo in studio cum non mediocriter adiuveretur mira quaedam graecae linguae et volubilitate et elegantia formarumque ubertate, tamen in sermonis constituendi munere ab eius laude nihil derogatur, dummodo respiciamus quam subtili iudicio tem-

7) Cf. Lechner. l. l. p. 25. Bernhardy. l. l. p. 256: „Unter den Eigenthümlichkeiten seines Stils und dichterischen Genius tritt charakteristisch hervor das Bild und die figürliche Redeweise, welche seine Komposition auf allen Punkten beleuchtet.“

porum discrimina distinxerit et ex vario usu ea semper elegerit, quae artis legibus satisfacerent.

Jam ut quod generaliter disputavimus ad singulorum temporum usum revocemus, praesentis primum persequimur usum.

I.

Qua in quaestione cum de praesentis natura ac vi⁹⁾ latius et copiosius disserere non opus sit, ea praesentia omnia videntur omittenda, quae cum ex necessitate pendeant et a communi omnium usu nullo pacto recedant, subtilitatem eligendi admittant nullam.

Nam primum quidem nihil mirum est si, id quod ipsa dramaticae actionis natura fert, praesens ad eas actiones notandas adhibetur, quae eodem temporis momento simul et fiunt in scena et verbis exprimuntur vel pronuntiantur, velut si in Prometheo vinciendo occupatus Vulcanus: *περαινεται δῆ*, inquit, *κὸν ματῶ τούργον τόδε*. Neque minus consentaneum est praesenti poetam ita uti, ut aut statum praesenti tempore permanentem aut repetitionem actionis significet⁹⁾.

Quibus in generibus libero arbitrio nullum locum relinquere sponte intelligitur.

At vero plasticum, ut ita dicam, poetam cognoscimus in pronuntiandis sententiis communibus, quibus ea proponuntur, quae omnium consensu comprobari videntur.

⁹⁾ Veterum grammaticorum sententias collegit Schmidius in dissertationibus, quae inscriptae sunt: *Doctrinae temporum verbi Graeci et Latini*. Halle 1836. — Accedunt recentiorum definitiones: Buttman, *Griech. Gr.* § 137. Thiersch, *Gramm.* § 289, 2. Schmalfeld *Syntax d. griech. Verb.* Eisleben 1846. § 52, p. 87. Curtius *Gr.* § 486. *Erläuterungen* Cap. 20, p. 178 seqq. Rost § 116, II, 6. Delbrück, *Altind. Tempuslehre* p. 89. Krueger, *Griech. Sprachl. f. Schulen* p. I, § 53. Rud. Kohlmann: *De verbi Graeci temporibus*. Halis Saxoniæ 1873.

⁹⁾ Cf. Curtius: *Schulgr.* § 486, 1. 2. (edit. XI): der Indicativ des Präsens bezeichnet, wie im deutschen und lateinischen, die in der Gegenwart dauernde Handlung. Als solche gilt 1) eine im Augenblicke des Sprechens sich vollziehende Handlung, 2) eine gegenwärtig wiederholte Handlung, ein gegenwärtig dauernder Zustand.

Nam in talibus sententiis, quarum beatissima floret ubertate Aeschylea tragoedia, dominari quodammodo videtur praesens, id quod nube quasi exemplorum satis probatur¹⁰⁾. Nec tamen deest in eisdem aoristi gratissima variatio, quae Homeri auctoritate nixa per omnia Graecarum litterarum genera omnesque aetates propagata est.

Aeschylea autem exempla sunt haec:

- Suppl. 101. *μνήμων ἄνω φρόνημά πως
αὐτόθεν ἐξέπραξεν ἔμπας ἐδράνων ἀφ' ἀγνῶν.*
- ibid. 1005. *καὶ παρθένων χλιδαῖσιν εὐμόρφοις ἔπι
πᾶς τις παρελθὼν ὄμματος θελκτῆριον
τόξευμ' ἔπεμψεν, ἡμέρον νικώμενος —*
- Ag. 180. *καὶ παρ' ἄκοντας ἦλθε σοφρονεῖν.*
- ibid. 966. *ῥίψης γὰρ οὐσης φυλλὰς ἵκετ' ἐς δόμους
σκιὰν ὑπερτείνασα σειρίου κυνός.*
- Eum. 529. *παντὶ μέσῳ τὸ κράτος θεὸς ᾤπασεν,*
ubi aoristum statim excipit praesens: *ἄλλ' ἄλλα δ' ἐφορεύει.*

Admiramur hanc tantam sermonis facilitatem, quam nos vix assequimur. Schoemannus quidem haec vertit his verbis:

Immer dem Mittleren hold sind die Himmlischen;
Anders schaun sie auf Andres.

Eodemque modo etiam Od. Muelleri et Donneri versiones aoristum hoc loco praesenti reddunt. Graecus vero poeta tantum abest ut hac difficultate laboret, ut hanc aoristi et praesentis varietatem data opera affectasse videatur; ceteri, qui occurrunt, aoristi gnomici praesenti adiuncti sunt.

¹⁰⁾ Sententiae communes inveniuntur: Prom. 50. 329. 378. 385. 698/99. 750/51. 936. 981. 1012/13. 1039. Sept. 77. 200 seq. 224 seq. 227—30. 230 seq. 438 seq. (ib. 596) 600. 625. (684 copula est supplenda) 699—701. 1044. Pers. 97—100. Suppl. 203. 327. 385 seq. (485) 489. 514. 749. 761. 770 994 seq. 1049. Ag. 222 seq. 250. 381—97. 485 seqq. (533/34) 584. 750—56. 757—62. ibid. 764—71. 788/89. 832 seq. 857 seq. 861—63. 938. 939. ibid. 940. 941. 951 seq. 1001 seq. 1205. 1300. 1486. 1562—64. Choeph. (59) 61—65. 68 seq. 309—14. 400—404. 585 seq. ibid. 599 seqq. 635 seq. 639—45. 780. (920) 921. Eum. 274/75. 286. 520. 559 seq. — Cf. Krueg. I. § 53. 10, 2. Curtius, G. Sch. § 494. Kühn. Gr. II, 1. § 386, 7.

- Pers. 821. ὕβρις γάρ ἔξανθοῦσ' ἐκάρπωσε στάχυν
 ἄτης, ὅθεν πάγκλαυτον ἔξαμᾶ θερός.
- Ag. 779. Δίκα δέ λάμπει μὲν ἐν δυσκάπνοις δόμασιν,
 τὸν δ' ἐναίσιμον τίει βίον.
 τὰ χρυσόπαστα δ' ἔδεθλα σὺν πίνω χερῶν
 παλιντρόποις
 ὄμμασι λιποῦσ', ὅσια προσέμολε¹¹⁾ δύναμιν
 σέβουσα πλούτου παράσημον ἄνω.
- ibid. 1006. νόσος γάρ —
 γείτων ὁμότοιχος ἐρείδει,
 καὶ πότμος εὐθυπορῶν
 ἀνδρὸς ἔπαισεν —
 ἄφαντον ἔρμα.
- ibid. 1331. τὸ μὲν εὐ πράσσειν ἀκόρεστον ἔφν
 πᾶσι βροτοῖσιν· δακτυλοδείκτων δ'
 οὔτις ἀπειπὼν εἴργει μελάθρων κτλ.
- Eum. 330. — πρᾶκτορες αἵματος
 αὐτῶ τελέως ἐφάνημεν.

Atque hoc quidem loco praecedunt praesentia: ἐφέρπει (314) διοιχνεῖ (315) ἐπικρύπτει (317); itidem aoristus gnomicus ibid. 564. ὄλετ' ἄκλαντος, ἄστος, sequitur praesentia, sicut Eum. 660 seq. τίκτει δ' ὁ θρώσκων, ἢ δ' ἄπερ ξένω ξένη ἔσωσεν ἔρνος¹²⁾.

Simili modo etiam in comparationibus, praesertim in iis, quae ad Homeri accedunt consuetudinem, praesentis et aoristi usus alternat.

Praesens usurpatum est in ea comparatione, qua Atridarum pugnandi cupiditas celebratur. Ag. 48—59, aliisque locis. At vero aoristus adhibitus est:

Sept. 604 et 607:

ὡς γὰρ ξυνεσβᾶς πλοῖτον εὐσεβῆς ἀνήρ
 ναύταισι θερμοῖς καὶ πανουργίας πλέφω
 ὄλωλεν ἀνδρῶν σὺν θεοπτίστῳ γένει,
 ἢ ξὺν πολίταις ἀνδράσιν δίκαιος ὢν
 ἐχθροξένοις τε καὶ θεῶν ἀμνήμοσι

¹¹⁾ siquidem vera est lectio.

¹²⁾ Ag. 1329 εἰ δὲ δυστηχοῖ — βολαῖς ὑγρώσων σπόγγος ὤλεσεν γραφῆν, ab hoc loco alienum videtur.

- πληγεις θεοῦ μάλιστα παγκοίνω δάμη, κτλ.
 Ag. 717. ἔθρεψεν δὲ λέοντα κτλ.
 ibid. 724. πολέα δ' ἔσχ' ἐν ἀγκάλαις. —
 ibid. 727. χρονισθεὶς δ' ἀπέδειξεν. —
 ibid. 731. δατ' ἀκέλευστος ἔτευξεν.
 ibid. 732. αἵματι δ' οἶκος ἐφύρθη, —

Ecce totam comparationem ad Homeri¹³⁾ similitudinem accommodatam et ita enarratam, ut quod quolibet tempore accidere possit, certo quodam tempore factum videatur.

Iam perspicimus quid consilii in horum et gnomiorum aoristorum usu sit persecutus.

Nam plane Kühneri sententiae assentior, qui gnomium aoristum ab eo differre negat, quo facta solent narrari¹⁴⁾ Sicut in comparationibus ita in communibus sententiis ex infinita copia exemplorum, quae cotidianus usus et experientia suppeditat, ad confirmandam aliquam sententiam similem unum et id quidem certum certisque temporis finibus inclusum proponitur factum. Etenim quod re vera factum cognoscitur et oculis quasi clarius aspicitur et maiorem habet auctoritatem quam quod fieri posse contenditur.

Ceterum etiam futurum praesentis vel gnomici aoristi loco usurpari videtur:

- Choeph. 1018. οὐτις μερόπων ἀσινῆ βίοντον
 διὰ πάντ' ἄτιμος ἀμείφεται.

Sed adjecta negativa particula huius futuri naturam satis declarat. Simili modo apud Sophoclem invenitur: Antig. 348 seq. Ἄδα μόνον φεῦξιν οὐκ ἐπάξεται (vide Kühner. Gr. II, 1. § 387, 2).

Nec desunt perfecta gnomica:

- Suppl. 350. Ἴδε με τὰν ἱκέτιν φυγάδα περιδρομον,
 λευκοδίωκτον ὡς δάμαλιν ἄμ' πέτραις

¹³⁾ Cf. Od. IV, 334 seqq. II. V, 522 seqq. 136 seqq. II. IV, 274 sqq. XI, 474 seqq. X, 224. II. XVII, 176. III, 33—36 etc. — Ceterum confer Lechnerum de Aeschyle studio Homericum p. 20 seqq.

¹⁴⁾ Kühn. l. l. § 386, 7 (cf. 8, 3.): „er unterscheidet sich in keinerlei Weise von dem erzählenden.“ — Quae Kohlmann (de verbi Graeci temporibus p. 9 seq.) in contrariam partem disputavit hoc Aeschyleo usu confirmari mihi non videntur.